



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Confessionibus Ritè ac fructuosè excipiendis Doctrinas
tam generales, quàm speciales ad varios Hominum Status
accomodatas complectens**

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

De numero peccatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49251)

retur, ut sic enim jam non furtum duntaxat, sed sacrilegium dicitur.

Qu. 2. Quomodo circumstantia speciem mutantem cognoscantur? *Re.* varias quidem ad hoc regulas ab Authoribus abferri (v.g. quòd illa circumstantia speciem mutet, quæ transfert actionem ad vitium alteri virtuti oppositum; vel ob quod peccato nomen novum exprimens illam malitiam impotum est; è contrario verò circumstantia, quæ non auget malitiam, nisi aliam præsupponendo, dicenda sit non mutare speciem) sed quia illæ non omnino infallibiles & universales videntur, ideo rectius videtur facere Confessarius, si quid in particulari de circumstantiis speciem mutantibus Auctores doceant, ex ipsis eorum libris cognoscere studeat.

De Numero Peccatorum.

Qu. 1. Unde colligi possit distinctio numerica peccatorum? *Re.* ex duplici capite. 1. Ex objectis diversis numero non tantum materialiter, sed etiam formaliter distinctis; unde ocula, tactus, verba impudica copulam antecedentia, vel subsequenta, vel comitantia, unum numero peccatum constituent quia ad eundem actum & finem referuntur. 2. Ex interruptione morali actuum, quæ fit vel per contrariam voluntatem & propositum; vel per liberam cessationem ab actu; vel per cessationem naturalem v. g. somnum; vel per distractionem, quæ tamen in externis actibus tantum moralem interruptionem facit.

Qu. 2. Unde cognosci possit, num plura objecta coniungantur in ordine ad unum grave peccatum constituendum? *Re.* ad hoc Confessario hanc regulam servire posse; Quodcumque plures actiones per intentionem operantis ordinantur ad unum actum constituendum, tunc inter se uniti dicendæ sunt. Hinc qui plura furta minuta committit cum intentione perveniendi ad notabilem quantitatem, graviter peccat, uti Lugo, Sanch. Less. & alii communiter contra Navarrum docent; licet verò, si non haberet eiusmodi intentionem ulterius perveniendi.

Qu. 3. Quid observare Confessarius debeat in numero peccatorum indagando? *Re.* sequentes ei regulas servire possit. Prima. Cavendum, ne cum nausea & tædio Pœnitentis, nu-

numerus Peccatorum quærat, si ex dictis Pœnitentis probabili-
 ter & moraliter æstimari possit. Ita Tannerus q. 9. n. 90. &
 Laym. c. 13. n. 7. apud & cum P. Gobat tr. 7. n. 336. additque
 Tannerus hunc esse communem sensum Sapientum. Secun-
 da. Minus exactè quærendus est numerus ex illo, qui multa
 peccata cõfiteatur, quàm qui pauca. Nec valet hæc consequen-
 tia; Si proponerem hanc quæstionem Pœnitenti, intelligerem
 distinctiùs hoc peccatum, ergo teneor illam proponere. Ita
 Lugo d. 16. n. 590. apud & cum P. Gobat tr. 7. n. 337. Ter-
 tia. Si certus aut probabilis numerus haberi non potest, suffi-
 cit, si dicatur consuetudo peccandi, & tempus, ac frequentia
 in die, septimana, mense, vel anno. Ita C. Lugo, Hurt. Fill.
 & alii apud Busenbaum l. 6. tr. 4. du. 3. Quarta. Rustici ho-
 mines, qui agresti modo confitentur sine numero ac diligen-
 tia, non sunt cogendi repetere confessiones in doctis Parochis
 factas; cum enim bona fide confiteantur, & uniformem vi-
 tæ rationem habeant, ex confessione unius anni facilè de
 reliquis conjectura fieri potest, modò non evidentè con-
 stet, eos uno vel altero anno notabiliter scelestiùs vixisse.
 Ita Lugo d. 16. l. 14. n. 588. Arriaga d. 34. n. 34. & multi
 alii apud & cum Dian. p. 3. tr. 5. ref. 89. & p. 5. tr. 13.
 ref. 84.

CAPUT III.

DE PRUDENTIA CONFES-
SARII.

Etsi Prudentiæ virtus ad omnes functiones Sacerdotum
 eritè perficiendas summè necessaria sit, meritò tamen præ
 omnibus aliis necessaria creditur ad confessiones audiendas,
 utpote ex quibus amplissimus fructus sperari potest, si cum de-
 bita diligentia ac cautela audiantur; è contrario verò maxi-
 ma pericula & damna timeri debent, si non eâ, quâ oportet,
 prudentiâ ac zelo excipiantur. Ut ergo etiam quoad hanc
 partem Confessarius suæ obligarioni satisfacere possit, dili-
 genter inquirere & nôsse debet, in quibus potissimùm capiti-
 bus prudentia ab eo observari debeat, quod non difficile
 intel-